



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

De Tribus Personis Divinitatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

DE TRIBVS PERSONIS DIVINITATIS. 313

per creaturis, mentio fit vnus aeternae essentiae, vt Deut. 6. Audi Israel. Dominus Deus noster Dominus vnus est. Ac pij obseruent appellationem. Dixi discernendam esse inuocationem Ecclesiae ab Ethnica Ideo populus Israel peculiarem appellationem Iehoua tribuit Deo, vt discernat Deum verum conditorem, qui se in hoc populo patet, ab idolis & commenticijs numinibus Ethnicorum.

DEUT. 4. Vt scias quod Dominus est Deus, & non est alius praeter eum, id est: Hic Deus patefactus in hoc populo Israel, solus est Deus. Deut. 32. Videte quod ego sim solus, & non est alius praeter me. Ies. 44. Haec dicit Dominus rex Israel, & redemptor eius, Dominus exercituum. Ego sum primus & nouissimus, & praeter me non est Deus. Ies. 45. Ego sum Deus, & non est vllus praetera, praeter me non est Deus. Ego Deus, & non est alius, formans lucem, & creans tenebras. Item: Non est alius Deus praeter me. Deus iustus & saluus non est praeter me. Conuertimini ad me, & salui eritis omnes fines terrae, quia ego sum Deus, & non est alius. 1. Cor. 8. Scimus quod nihil est Idolum in mundo, & quod nullus est alius Deus nisi vnus. Nam estis qui dicantur dij, siue in caelo, siue in terra, sicuti sunt dij multi & Domini multi: Nobis tamen vnus est Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illo: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per eum. Ephes. 4. Vnus Deus & pater omnium, qui super omnes, & per omnia.

DE TRIBVS PERSONIS DIVINITATIS.

IN hoc articulo necesse est constitui quid vocabulum Personae significet. Primum igitur trado hanc definitionem, conuenientem huic articulo: PERSONA, vt Ecclesia in hoc articulo loquitur, EST INSTANTIA INDIVIDVA, INTELLIGENS, ET INCOMMUNICABILIS. Satis constat veteres scriptores Ecclesiae solitos haec duo vocabula discernere *ὁσία* & *ὑπόστασις*, & dicere vnā esse *ὁσία*, id est, essentiam aeterni Patris, Filij, & Spiritus sancti, sed tres *ὑπόστασις*, id est, tres vere subsistentes, nō commenticios, non caducos, non confusos, sed distinctos, seu singulares intelligentes. Pro hac voce Latini vsi sunt nomine Personae, & quanquam Graeca vox *ὑπόστασις* est illustis, tamen quia ingeniorum petulantia saepe conturbat recte dicta, rixae etiam de vocabulo *ὑπόστασις* ortae sunt. Cesserunt igitur Graeci, & Latinos secuti, ceperunt etiam hoc loco dicere tres *ὁσία*. Sed nos omisis rixis vocabulorum, Ecclesiae sententiam fideliter retineamus, & verbis iam in Ecclesia vsitatis & receptis sine ambiguitate vtamur. Lufit homo fanaticus, Seruetus, de vocabulo Personae

Personæ, & dispartat, olim Latinis significasse habitum aut officij distinctionem, vt dicimus Roscium alias sustinere personam Achillis, alias sustinere personam Vlyssis, seu alia est persona consulis, alia serui, vt Cicero inquit: Magnum est in Reipub. tuere personam principis. Et hanc veterem significationem vocabuli sycophanz detorquet ad articulum de tribus personis diuinitatis. Sed has non præligias fugiamus, & execeremur, & sciamus in hoc articulo loqui Ecclesiam, & personam dici substantiam indiuiduam, intelligentem, & incommunicabilem. Ac prodest in hac cogitatione mente intueri baptismum Christi, vbi tres personæ illustri distinctione monstrantur. Pater sonat hanc vocem: Hic est filius meus dilectus. Filius stans in flumine conspicitur: & Spiritus sanctus specie videtur demittitur. Ad hanc monstrationem accommodentur & firmamenta, quæ narrant, quis & qualis sit Filius, quis & qualis sit Spiritus sanctus.

P A T E R ergo hoc discrimen teneatur. Pater æternus, est persona non nata, sed quæ genuit ab æterno Filium imaginem sui. Filius est imago Patris, genita ab æterno à Patre: Quod postea certo tempore in utero Mariæ assumpsit humanam naturam, infra dicitur. Spiritus sanctus est agitator, procedens à Patre & Filio, & mittitur ad sanctificandas mentes, id est, nouam lucem, iustitiam & vitam Deo placentem & æternam, accendendam in his, qui sunt hæredes vitæ æternæ. Sunt itaq; tres personæ diuinitatis, consubstantiales, coæternæ, ὁμοούσιον, Pater Domini nostri Iesu Christi, Filius qui dicitur λόγος & imago æterni Patris, & Spiritus sanctus. Nec sunt plures personæ diuinitatis.

E T S I autem omnes angelicæ & humanæ mentes obstupefunt admiratione huius æterni, quod Deus Filium genuit, & quod à Patre & Filio procedit sanctificator Spiritus, tamen sic sentire necesse est, quia, vt toties iam dictum est, de Deo sentiendum est, sicut se patefecit. Ethnici vagantur animis, quærentes Deum suis speculationibus: At Ecclesia agnoscit Deum æternum, & omnipotentem conditorem talem, sicut se patefecit: & quanquam hæc arcana non penitus perspicimus, tamen hæc vita Deus incoari vult hanc agnitionem & inuocationem nostram à falsa discerni: & reuelationem certis testimonijs in verbo suo proposuit, in quo ceu foetus in aluo materno nutrimentum accipiens umbilico & coryledonibus, nos quoq; sedemus in lusu, & accipimus agnitionem Dei, & vitam ex verbo Dei, vt cum inuocamus sicut se patefecit.

DE FILIO.

S I C autem describitur Filius. Iohan. 1. nominatur λόγος, Epist. ad Coloss. nominatur imago Dei. In Epist. ad Hebræos